



DISSERTATIONEM INAUGURALEM IURIDICAM
 DE
 IVRE NAVALI, NEC MERCATORI-
 BVIS, NEC ALIIS CIVIBVS, SED NAVTIS ET
 OPIFICIBVS,
 (DEN GELERNTEN UND ZUNFTIGEN SCHIFFLEUTEN)
 LIB. ET IMP. CIVITATIS LINDAVGIAE IN MARI SVEVICO
 SEV LACV BODAMICO IXTA STATVTA PRIVATIVE
 ET SOLITARIE COMPETENTE; CVM CONNEXIS.

SOLO DEO PRAESIDE
 RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
 SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
 D O M I N O

FRIDERICO CHRISTIANO

MARGGRAVIO BRANDENBVRGICO BORVSSIAE SILESIAEQVE
 DVCE RELIQA BVRGGRAVIO NORIMBERGENSI CAET.
 PRINCIPE AC DOMINO ACADEMIAE NOSTRAE
 CLEMENTISSIMO.

EX DECRETO ET AVCTORITATE
 ILLVSTRIS IVRIS CONSVLTORVM ORDINIS
 IN ALMA FRIDERICIANA ERLANGENSI
 PRO

SVMMIS IN VTROQVE IVRE DOCTORIS HONORIBVS,
 IMMVNITATIBVS AC PRIVILEGIIS RITE OBTINENDIS,
 PVBLICE DEFENDET

MATTHAEVS SEVTTER DE LOEZEN

LINDAVIA - ACRONIANVS.

D. XX. IVNII M D CC LXIII.

ERLANGEN

ERLANGAE

LITTERIS TETZSCHNERIANIS.



P. 172.

1764, 6



S. R. I.
LIBERAE ET INCLYTAE
REIPUBLICAE LINDAVIENSIS
PRO CERIBVS

ANTIQUISSIMA STEMMATVM PROSAPIA, GRA-
VITATE, PIETATE MVNERVM, MERITORVMQVE IN PA-
TRIAM SPLENDORE CONSPICVIS, ILLVSTRI BV S,
MAGNIFICIS, GENEROSISSIMIS,
PRVDENTISSIMISQVE

DOMINIS
CONSVLIBVS,
PRAETORI,
ARCTIORIS CONSILII ASSESSORIBVS,
SYNDICIS,

ET RELIQVIS
PATRIBVS PATRIAE CONSCRIPTIS,
DOMINIS
PATRONIS ET FAVORIBVS SVIS
INDVLGENTISSIMIS,
AETerno OBSERVANTIAE CVLTV DEVENERANDIS,
HOC QVALECVNQVE
FINITO VITAE ACADEMICAЕ CVRSV ELABORATVM
SPECIMEN
SVMMa PIETATIS RELIGIONE
SACRV M ESSE

ILLISQVE
ANIMVM DEVOTISSIMVM
TESTARI
SIMVLQVE

E I S

FELICITATEM IN REGENDA REPVBLICA
PATRIA PERPETVAM,
VITAE INCOLVMIS DIVTVRNITATEM,
OMNEMQVE PROSPERITATIS
CVMVLVM,

PIE SANCTEQVE ADPRECARI

SEQVE ET EVA STVDIA DE MELIORI COMMENDARE VOLVIT

TANTORVM NOMINVM


CVLTOR DEVOTISSIMVS


AVCTOR.













DE IVRE NAVALI,

*Nec mercatoribus, nec aliis civibus, sed nautis et opificibus
(den gelernten und zünftigen Schiff-Leuten) Lib. et Imp.
Civitatis Lindaviae in mari Suevico s. Lacu Bo-
damico iuxta statuta priuative et solitarie com-
petente; cum connexis.*

PRAELIMINARIA.



S. I.

[VRA navigandi in Lacu Bodamico et praeser-
tim iura illa naualia, quae nec mercatoribus,
nec aliis civibus, sed praecise nautis et
opificibus (den gelernten und zünftigen Schiff-
Leuten) secundum statuta Lindaviensia com-
petunt, inaugurali hac dissertatione enodare atque tra-
dere penes nos dum constituimus, extra oleas nos va-
gari a nemine facile accusabimur, si in sermone prae-
liminari ea, quae ad iura illa eo facilius eoque melius
intelli-

A

merentur. Inferior lacus vix quartam superioris partem aequat. Ad haecenus dicta eo melius diiudicanda tabulam topographicam adiciere voluimus.

§. V.

Hunc lacum, qui et mare *Suevicum* salutatur, variis gaudere nominibus, vel ipsis historiarum et Geographiae titulis notum est. Non antiquis tantum, sed et recentioribus, *Acronius*, quibusdam *Brigantinus*, nonnullis *Moesius*, aliis *Rheniacus*, plerisque vero *Constantiensis* et *Potamicus* s. *Bodamicus* lacus audit. Inde vulgo *der Bodensee*, olim vero quoque *der Wythsee* ab accolis vocabatur. Quae nomina, quod ex varia variorum impositione sint orta, uti nemo non videt, ita *ἱερονομ* cuiuslibet in illorum gratiam, quorum non est, operosus huius rei disquisitiones instituisse, ea tamen, qua fieri potest, breuitate illustrabimus.

§. VI.

LACUS *Acronius* aut *Acronus* dicitur a *VADIANO*, *HERMOLAO BARBARO*, *GLAFERANO*, et *POMPONIO MELA*, qui vltimus *L. III. c. 2.* *Rhenum*, asserit, ab alpibus decidentem prope a capite duos lacus efficere, *Venetum* et *Acronium*. *BEATUS RHENANUS* cum multis aliis nomen hoc sumtum esse vult a *Vico* illo Romano, infra villam *Arbonam* ad lacum sito, hodiernum *Romishorn* dicto, qui olim non alio nomine venit, quam *Romaneshorn*, ex quo veteres creauerint vocabulum *Cromeshorn*, s. *Cromans horn* i. e. cornu lacus incuruati: vnde lacus acceperit nomen *Cromasee* i. e. *der Krommesee*, vel durius aliquantum *Acromasee*. Quae sententia non solum *STUMPFIVM P. II. L. V, c. 9.* *Historiae Helueticae*, sed etiam *GOLDASTVM*

in *Glossa ad Eckebard. Iun. de Cas. S. Galli T. I. rer. Allem. pag. 109.* probatos historiae patriae scriptores patronos habere videntur. Alii lacum hunc *Acronii* nomen inde accepisse credunt, quod, ubi latissime se extendit, etiam hyberno tempore calorem aestiuum prodat. Putat scilicet *VADIANVS*, vocem *Acronius* esse graecae originis, et idem esse, ac paulo minus gelidum, frigori que intenso non obnoxium; derivat illam a vocabulo *κρύσιος* i. e. frigidus, gelidus; patet eius opinio ex *epist. ad Rudolphum Agricola*: ubi *Acronium* dicendum esse docet, a priuatiua particula *a* et *Cronium* s. *Saturninum* et *frigidum*, quo iudicari possit, lacum hunc nunquam gelu obdurari. Vnde quoque *CRYSIVS* in *Annal. Sueu. Lib. IV. P. I. c. 7.* toti lacui, inquit, nomen est *Acronius*; forte a *κρύσιος* propter saturniam frigiditatem, etsi non facile vnquam frigore totus congelatur, quin in medio tamen apertus sit.

§. VII.

ALII aliam habent deriuationem vocis *Acronii*, quo pertinet *STUMPFIVS* l. c. *Io. GOROPIVS BECANVS* in *Orig. Antwerp. pag. 947.* et *Generosissimus* atque *Ill. Io. Reinh. WEGELINVS* *Consul* meritissimus, atque *Syndicus* primarius *Lindav.* cuius mortem praematuram ad vnum omnes iure meritoque deplorant, in *Tr.* quem inscripsit, *S. R. I. liberae Ciuitatis Lindav.* Praerogatiua antiquitatis prae illustri ad *D. virginem Coenobio*, eiusdemque famosi diplomatis *Ludovic. falsitas* contra iniqua *Maximil. Rastleri S. I. nuperae vindicationis* argumenta denuo reueta Anno 1712. *Sept. II. §. 1.* Posterior hic *Vir Magnificus* *ἄκρον Acronii*, s. potius *κρυσιδάκρυον Acromi*, deriuat a crebris fluuiis *Aach* dictis in superiorem lacus partem descendentibus, qua-

les *Steinach, Goldach, Bregenzach, &c.* In primis vero αατ' εξο-
 χην sic dicto fluuiolo *Aach*, prope Lindauiam in lacum il-
 labente, et sinu illo incuruato, quem lacus hic superior Bri-
 gantiam versus et Rhenum facit, ita vt sit *Ach-Crom* et con-
 cise *Acrom*, reiecta aspiratione. Verum nobis potius arridet
 sententia eorum, qui affirmare audent, denominationem la-
 cus *Acronii* vti vetustissimam, ita a Sueuis oriundam esse, et
 longe ante natiuitatem oppidi *Brigantii* et *Pokami* vſitatum
 fuisse. De antiquitate testatur SCHOBINGERVS in *Addit. ad*
Vadiani farraginem Antiquitat. apud GOLDASTVM T. III. pag.
109. rer. Allem. verbis: Lacus Bodamicus ante natiuitatem Chri-
ſti, et multo etiam post tempore dictus fuit Cronius Lacus der Cro-
masee Quod autem a Sueuis originem habeat, ita colligitur.
 Mare Balthicum, cuius oras Sueui antiquitus inhabitauerunt,
Cronii nomine olim insignitum fuit. Novas illi fedes quae-
 rentes, et in lacus nostri littoribus etiam confidentes, eum quo-
 que *Cronium* nominarunt, ex quo postea duriori aspiratione
Lacus Acronius dictus fuit. Testatur hoc elegans locus, quem
 FELIX FABRI, Monachus Vlmensis. in *hist. Sueu. cap. 10.* habet: *Sue-*
ni inquit, a monte *Sueuo* recesserunt, et hanc nostram regionem desertam
 reperiens colere coeperunt, eamque *Sueuiam* nominarunt a se. Porro cum
 lacum *Constantiensem* reperiissent, eum *Veneticum* nominauerunt a *Sinu*
Sarmatici maris, qui *Veneticus* dicitur, propinquus monti *Sueuo*, et solo
 natiuitatis eorum, et populum iuxta lacum illum superiorem habitantem
 nominabant *Venetes*. Lacum autem inferiorem *Acronium* nomina-
 bant a fluuiio, qui terram *Venetam* alluit, et in sinum *Veneticum* de-
 currit, cui nomen est *Chronon*, de quo *Acronius* venit. Notandum
 tamen, quod in hoc asserto error commissus, dum lacus su-
 perior

terior *Acronius*, inferior vero *Venetus* dicitur. Ordo naturalis igitur ab auctore inversus est.

S. VIII.

PORRO mare nostrum apud antiquissimos rerum germanicarum scriptores nomen fert *Brigantini* s. *Brigantii* Vid. PLINIUS L.IX. c. 17. IULIUS SOLIN: Cap. XXIV. aliique. Facile apparet, nomen hoc sumtum esse ab ipso oppido, quod ad caput lacus situm est *Brigantia*. Nuncupatur etiam *Constantiensis* ab vrbe *Constantia*, quam alluit, *Moesus*, a populis *Moesis*, qui has quoque oras quondam incoluisse dicuntur. Nomine venit porro *Rbeni lacus* eo, quod flumen hoc a lacu excipitur, quinimo quod ipsum etiam magnam partem gignit. Vid. AMMIANVS MARCELLINVS L. XV. c. 4. *Rbenus amnis, inquit, lacum innadit rotundum et vastum, quem Brigantium accola Rhetus appellat.*

S. IX.

OMNIVM frequentissima et receptissima est nuncupatio lacus *Bodamicus* s. *Potamicus*, quae posterior in vetustissimis chartis, et scriptoribus semper et vbique obuia est. Ortum traxisse existimatur ab antiquissimo et celebri oppido ac Palatio regio *Potamum* s. *Potama* vel *Bodmen* dicto, olim ad ultimos lacus terminos sito, ab hoc nominatus videtur *der Bodmersee*, vel si mauis *Bodmansee*, et hinc denique vocabulo detorto denominatio orta esse dicitur *der Bodensee*. Aliis tamen magis placet, nomen germanicum *Bodensee* derivare a summa lacus profunditate, de qua opione WACHTER in *Glossar. germ.* voce *Boden* consulendus. *Boden enim est, inquit, profun-*

profundus, unde Bodenboefs, profunde malus. Respicit simul ad Graecorum βαθός; *profundus, βαθός; profunditas.* Vnde veteres variorum fluuiorum ac lacuum nomina formarunt, qualia sunt Padus Italiae fluuius i. e. profundus. Sinus Bothnicus, quod idem est ac sinus profundus; *Bodensee* i. e. lacus profundus. Ab horum opinionibus recedit Abbas Divitis Augiae WALAFRIDVS, qui in vit. B. Galli L. I. ap. Goldast. T. I. rer. Allem. nomen *Bodamicus* derivare mavult a voce graeca ποταμικός, hac forsan ratione ductus, quoniam ποταμός Graecis dicitur flumen s. amnis, et sic lacus noster ad interfluentibus Rheno atque aliis amnibus ποταμικός vel Potamicus nominatur. GRYPHIANDER in *Tr. de insulis* Cap. XXIII. n. 19, vocat Lacum *Podanurum*, procul dubio a vocabulo graeco εὐχός alveus, fossa. Vocabulo autem *Bodino* ipsum insignit VOLATERRANVS. VADIANVS in *Ep. ad Rudolph. Agricol.* et PLATIN. de *Heluet. antiq. et noua* C. XXIV. *Bodicum* vel *Botigum* dicere malunt, i. e. fundamento carentem, quae opinio cum WACHTERI coniectura conuenit. Superest vltima adpellatio *Wythsee*, i. e. *der weite oder breite See*; qua accolae olim vsi sunt, quaque denominata sine dubio fuit pars lacus superior praefertim Arbonam inter et Buchornium, vbi latissimus est. Qua de re conferri merentur MÜNSTERVS in *Cosmographiae* L. V. c. 208. ZEILLER in *Topograph. Sueu.* eiusque appendic. voce *Buchorn* et Compilatores *Annal. Lindav.* qui ad Annum 866. scripserunt.

S. X.

QVI vberiorem supradictorum explicationem legere cupit, illi ex affe satisfaciet MELLINVS, conterraneus et civis

cius meus, qui quondam erat Antistes primarius ecclesiae Campidonensis in Algouia in Diff. proluxa aequae ac erudita de antiquitatibus Lacus Bodamici, sub praesidio olim CASP. SAGITTARI A. 1693. publico Eruditorum examini in alma Salana exposita Cap. I. et Io. CHRISTOPH. WEGELINVS, Syndicus olim Lindav. celeberrimus, in Diff. sua, de dominio maris Sueuici vulgo Lacus Bodamici inscripta et sub praesidio CHRIST. GOTTL. BYDERI nuper defuncti A. 1742. Ienae ventilata. Ingenuè profiteri non erubescō, laborem meum in conscribendo hoc praeliminari capite vtriusque huius viri opera multum fuisse subleuatam.

§. XI.

FACIES regionum circa lacum nostrum sitarum non semper eadem, sed pro accolarum diuersitate diuersa fuit. Si AMMIANVM MARCELLINVM audimus; *Lacus Bodamicus horrore siluarum squalentium inaccessus fuit, (nisi qua vetus illa Romana virtus et sobria iter composuit latum) barbaris et natura locorum et coeli inclementia refragante: ita ille histor. L. XV. cap. 4. Quod assertum a veritate etiam nullo modo abludit. Nam tristis illa rerum facies iam Augusti tempore vere mutari in melius coepit, dum Romani cum Germanis bella gerentes varia oppida atque arces ad littora lacus nostri exstruxerunt. MARCELLINVS laudatus enim Brigantiam, STUMMELIVS Hornam arcem et vicum Romanorum a Tiberio et Druso exstruendam, alii Arbonam quoque et Constantiam tum temporis Valeriam, Harudopolin et Augustam Turgatorum dictam, iis temporibus conditas volunt. STRABO etiam insulae nostrae, cui a Thiliis nomen, mentionem facit, de quo infra commodior dicendi occasio erit.*

§. XII.

PER moratorum accolarum studia conditio huius regionis paulatim ita mutata est, vt amoenissimis Germaniae nullo modo cedat. lucundissimam illius ideam BVCELINVS dedit in *Descriptione Constantiae Sacrae*, quae ita concepta est: *Terras vberrimas vineis, vtrobique agris, pratis cultissimas, vrbilus, pagis, castris frequentissimas, incomparabili oculorum et mentis recreatione intuemur, coeloque utimur admodum propitio, ipsam quoque inter hyemis inclementiam aëre temperato, vnde omnis generis frugum et fructuum copia incredibilis, mirifico sapore se commendans, pecoris a vicina Helvetia insignis frequentia et praestantia, piscium, anatum, omnis generis volucrum, tanta varietas, vt nemo non peregre veniens nimio pere admiretur. Conferri cum his meretur TIBIAN. Panegyricon super laudibus Aeronii Lacus &c. ap. GOLDBAST. T. I. Rer. Allem. pag. 98. Ne quis vero hos auctores domesticos partium studii forsan accuset, THVANI testimonium addere liceat. Ita autem ille: Circumeundo lacum Bodanicum nusquam iucundior oculis species observata est, miti clivo ab utraque parte per vitiferos colles, qui in aquis pellucent, descendente. Nec nostris demum diebus talis facta est. Seculo iam nono multas alias Germaniae regiones amoenitate illam vicisse, inde facile colligendum est, quod Ludouicus Rex lacus Bodanici oras saepius inuisisse dicitur, idque ideo, vt animum curis distractum his in locis reficeret, et vel in lacu nauigando, vel aliis vacando exercitiis levaret. Prouincia tamen haec huius ipsius regis beneficio insolito magis floruit, caputque vt *lenta solet inter viburna cupressus*, splendidius erexit, id quod Annalium scriptores vno ore profitentur et laudant.*

- - - *Tantum aevi longinqua valet mutare vetustas.* Virg.

§. XIII.

SED quis quaeso! fortunam huius regionis' subinde in melius mutatam adeo mirabitur, quum Historici ad unum omnes in commodis lacus huius depraedicandis non defatigentur! Aëris temperies ibi mirabilis est: perflant lacum suavissimae aerae, nullisque tetrīs contagionibus graves: pellucidissimi fontes irrigant campos: laetissima fructibusque maturandis maxime propitia coeli facies est. Paucis STVMPPIVS, CRVSIVS, alique praeter iam antea laudatos, tractum hunc Germaniae amoenissimum appellat. Lacum vero propter commoda piscationis et navigationis praecipue magnificiunt. Vt enim varii generis pisces suppeditat, ita accolae navigando commercia sua in illo quam diligentissime exercent, nauibus onerariis suis merces pretiosissimas vndiquaque venientes transportant, quibus deponendis et feruandis commodi pariter ac tuti portus inferuiunt, quo ipso cum finitimis populis non interrupta colitur societas.

§. XIV.

AD quaestiones quando et quomodo piscatio et navigatio in lacu nostro instituta fuerit, nihil certi ideo regeri potest, quoniam monumenta historica deficiunt. Hoc quidem docent, quod iam A. 1362. inter socias ciuitates maritimas *denen alten Pundt-Städten am See als Constanz, Lindau, Ueberlingen, Buchorn &c.* foedus sociale ad tuendam libertatem navigationis et commerciorum in mari Sueuico sub ipsis Imperatoris Caroli IV. auspiciis in initum sit; docent quoque, quod societates piscatoriae A. 1393. conuentiones pepigerint: at quilibet prudens rerum arbiter etiam nobis tacentibus facile intelligit, quod eiusmodi pacta et conuentiones

diuersarum ciuitatum et societatum exercitium singularum iam praesupponant, hoc est, ex eiusmodi actibus patet, quod singulae ciuitates et societates nauigationem et piscationem iam exercuerint prius, quam de statutis et passionibus communibus cogitauerint.

§. XV.

QVOD si porro ad experientiam quotidianam attendimus, aut historiam in consilium vocamus, vtraque docet, quod ne singulae quidem societates aut collegia vno impetu oriantur, nec de certis negotiis consilia communia statim ab initio ineant, sed singula membra potius vsu et exercitio suo ansam praebeant, vt illa successiue nasci queant. Hinc maxime probabile est, quod singuli accolarum nostri lacus piscationem pariter ac nauigationem promiscue tentauerint, vtilitas autem inde proueniens plures invitauerit ad negotium vtrumque etiam exercendum. Crescente hoc modo vtilitate creuit quoque numerus piscantium et nauigantium ita, vt tandem integrae inde ortae sint societates, quae, quoniam promiscuus vsus non semper facit ad bonum publicum promouendum, de statutis singularibus pangendis consilium ceperunt. Ne vero vicinae ciuitates sese in exercitio et piscationis et nauigationis turbarent, ortae demum sunt conventiones plurium societatum, quibus libertas naturalis et arbitrarius vsus restrictus est, vt salus communis eo melius obtineretur partim, partim vero rixae et lites ex indefinito exercitio facile oriundae evitarentur, et quies publica conseruaretur.

§. XVI.

POPULI igitur, qui terras circa mare Sueuicum sitas occuparunt, mare hoc simul per vsum et exercitium piscationis

tionis et navigationis suum fecerunt, eoque ipso vti terrarum illi adiacentium domini euaserunt, sic et ipsius lacus nostri dominium acquisiuerunt. Ius enim re quadam occupata et sibi vindicata pro arbitrio suo vtendi et fruendi, atque ab eius occupatione, possessione et vsu omnes alios excludendi dicitur *dominium*. Praeter philosophos et Ictos, qui in systematibus iuris naturae et ciuilibus data occasione hac de re agunt conferri hic merentur auctores, qui hanc materiam peculiaribus comentationibus illustrarunt, vt *van TOLL* tr. de dominio, qui tamen multas nugas immiscuit; *THOMAS. CHR. AVGSPURG* Tr. qui inscriptus est: *iura de dominio, pactisque dominium acquisitiuis ceu ad transferendum dominium habilibus, ex certis euidentiibusque principiis iuris tam naturalis, quam civilis romani demonstrata.*

§. XVII.

QVAESTIONEM, vtrum et quomodo res communes seu nullius occupari, earumque dominia acquiri, queant? quoniam a Doctoribus iuris naturae iamdudum decisa est, studio dataque opera praetermittimus. Quaestio famosissima illa, vtrum maria domini et imperii capacia sint? magnis quidem semper animorum motibus ventilata est, vt adparet ex *GROTIO*, *SELDENO*, *SCHOUKIO*, *GOThOFREDO*, *PACIO*, *SOLORZANO*, *PONTANO*, *MERVLA*, *BYNCKERSHOECKIO*, *BARBEYRACIO*, aliisque quorum catalogum *Io. ALBERT. FABRICIUS in hydrotheol.* pag. 272. seq. dedit, quibus forsan et *MONTESQVIEV* *l'esprit de loix* L. XXI. c. 8. et 17. *SVRLAND* *Diss. Iuris Germanorum nauigandi in Indas prima fundamenta*, eiusque *Grundsätze des europäischen See-Rechts* iungi possunt: at necesse pla-

ne non ducimus, vt litem hanc nostram faciamus. Idem fere esset, ac si Iliadem post Homerum scribere conaremur. Mare Suevicum nostrum toto coelo diuersum est ab eo, de quo allegatis auctoribus sermo fuit; hinc et quaestio tanto fervore ab iis discussa plane alius est indolis, id quod ex GROTIJ Diff. de mari libero C. V. p. m. 78. expressis verbis luculenter patet: *non de mari interiori, inquit, hic agimus, quod terris undique infusum, alicubi etiam fluminis latitudinem non excedit. - - de Oceano quaeritur, quem immensum, infinitum, rerum parentem, coelo conterminum, antiquitas vocat - - qui per reciprocas aestuum vices terram hanc humani generis sedem ambiens neque teneri neque includi potest &c. Quum Dani, Sueci, Russi &c. maris Balthici, et posteriores etiam Caspii, Veneti Adriatici, Turcae nigri maris &c. &c. dominium sibi arrogent: statibus lacum Bodamicum accolentibus illius dominium eo minus denegari poterit, quo magis requisita domini locum hichabent. Nimirum occupari, ab aliorum communiione separatim sine injuria haberi, custodia detineri, contra inuadentes defendi, ab inuasoribus iniustus vindicari potest. vid. AVGVSTINVS de dominio Sect. I. Cap I. §. 51. Oceanus s. mare vastum est, ex sententia nostra, res dominium respuens, ideoque cedit cuiuslibet occupanti.*

§. XVIII.

QVOD dominium, quatenus toti circulo Sueuico, seu potius statibus lacum Bodamicum adiacentibus collectiue sumtis competit, *uniuersale*, seu commune, quatenus vero singulis statibus pro ratione territorii sui competit, *particulare* est. Quod si iuribus primariis et praerogatiuis, quibus *Lindauia* mea prae aliis intuitu huius lacus fruitur, domini nomen tribuere lice.

ce.

ceret, *particularissimum* hoc vocandum esset. Prius, vniuersale scil. dominium, Circulus Sueuicus s. status mare nostrum adiacentes semper habuerunt, illoque etiam, vt iusto titulo quaesito, omni tempore sunt vsi. Nam vi huius domini, vel imperii vniuersalis, non tantum ciuitates maritimae sociae, *die alten Pundt-Städte am Bodensee, als Constanz, Lindau, Ulberlingen, Buchhorn &c.* sub auspiciis Imp. CAROLI IV. a 1362. inter se foedus speciale inierunt, vt publicam tranquillitatem pariter ac libertatem nauigationis et commerciorum in mari Sueuico tuerentur, sed a ciuitatibus etiam foedus Sueuicum cum societate equestri Clypei S. Georgii A. 1488. conclusum fuit, quo finito omnia foedera maritima vetera sub Directione Circuli Sueuici renouata fuerunt. Vid. DAT de pace publ. L. I. c. 13. n. 22. et c. 24. p. 171. et L. V. c. 3. n. 9. *Annal. Lindav. MSk. ad an. 144.* vi eiusdem domini vniuersalis status nostri maritimi ingrauescente annona aut plenarie semper prohibuerunt, quo minus frumenta in Helvetiam mari et terra importarentur, aut saltem definiuerunt pro commodi et necessitatis publicae ratione certam fructuum quantitatem, quae exportari posset. Tempore belli vero mandata Caesarea, subuectionem mercium vetitarum prohibentia, qualia sunt arma, commeatus, omniaque quibus hostium vires firmentur, exequendi ius habent ciuitates. Nec foederibus, praeceptis et legibus tantum, sed et armis, si circumstantiae iubent, vtuntur status circulares. Quem in finem omnia, quae necessitas suadet, provident, custodiunt, lacum, collocant hinc inde stationes militares, instruunt atque armant naues excursorias, quibus lacus exploretur, commeatibus onustae naues visitentur, transgressores diripiuntur,

tur, creptaque fisco addicantur. Excursiones hæcæ s. *die Bekreutzung des Bodensees* status maritimi, et vi recessuum circuli priuilegiati, promiscue quidem, saluis tamen cuiuscunque iuribus, suscipere solent. Circulus porro de Inspectoribus in ciuitatibus maritimis ordinandis disponit, certamque frumentorum in Heluetiam singulis hebdomadibus, nauibus transuehendorum determinat quantitatem. Huius negotii vnã partem habent ciuitates ditionis Austriacæ, Constantia scilicet Bregentia, Cella, reliquæ tres partes ciuitatibus maritimis Imperio subiectis relinquuntur. Idem denique circulus ad sumtus, quibus Inspectores et milites aluntur, et naues excursoriæ exstruuntur, ferendos imponit certum censum s. *imposto*, qui lingua vernacula *Sackbatzen* vocatur.

§. XIX.

CIRCVLVS his et aliis iuribus, quæ in mari nostro aequæ, ac in eius littoribus, boni publici causa excercere consueuit, ab omni æuo ita vsus est, vt nemo contradixerit, nec vllus vnquam illius possessionem turbauerit, aut exercitium impediuerit. Nouissime quidem, sub initium huius sæculi scil., Austriaci rei militaris præfæcti Constantienses et Brigantini dominium eminens (seu si mauis imperium) antea inauditum sibi arrogare coeperunt, cui rei Recessus Raueusbergensis de an. 1699. ratione frumentorum in Heluetiam exportatorum ansam præbuit: Quum enim Circulus ad conferuandum dominium et Imperium suum sub auspiciis Directoris Circuli naues quasdam comparari, iisque mare circumuehi iussisset, dicti præfæcti Austriaci intercesserunt, et excursionibus hisce, licet quotannis fieri consueuerant, serio sese opponere ausi sunt. Ast circulus Sueuicus

cus pariter ac omnes Principes et status, Lacus Bodamici accolae, conatus hos aequo animo non tulerunt, nec hac de re graviter tantum conquesti sunt, sed dominio huic eminenti nouiter praetense tam verbis quam factis fortissime contradixerunt. Nec causae suae iustitiam priuatim tantum, sed et publice defenderunt. Eum in finem in peculiari scripto, cui titulus: *Warum dem höchstlöbl. Erzhaufe Oesterreich von dem hochlöbl. Schwäbischen Creyß, und sonderlich dessen in- und an dem Bodensee situirten Fürsten und Ständen, das so genannete neuerlicher Dingen praetendirende Dominium maris weder in petitorio noch possessorio eingestanden werden können*; rationes ac fundamenta exposuerunt, illudque postquam publici iuris factum esset, vna cum aliis grauaminibus et desiderijs Circuli Sueuici tam A. 1711. quam nouissime Collegio Electorali ad capitulationes Caesareas exhibuerunt.

§. XX.

CIRCVLVS Sueuicus cum statibus maritimis reliquis nullo modo negant, Augustissimae Archiducali Domui Austriacae ius in mare Sueuicum competere, ambabus potius largiuntur manibus, condominium optimo iure ad illam pertinere ratione locorum quorundam, quae Serenissima illa domus circa Lacum Bodamicum possidet, qualia sunt *Bregenz & Fussach*. Quum autem haec loca emtionis iure a Domino Austriaca acquisita, vt docent *MÜNSTER Cosmograph L. V. c. 199. seq. et 206. STUMPF. Chron. Heluet. L. X. c. 36.* illaque ante cessionem plus iuris in Lacum nunquam sibi vindicauerunt, quam ipsis pro ratione situs et limitum de iure et obseruantia, vt reliquis Con-Statibus singulis, competit: facile apparet, dominium eminens in domum Austriacam trans-

C

ferre

ferre illa non potuisse. Nam nemo, secundum tritum illud, plus iuris in alium transferre potest, quam ipse habet. Neque per acquisitionem Constantiae Celsissima illa domus, dominium supremum in Lacum Bodamicum acquirere potuit, quoniam ciuitas illa eiusmodi eminens ius nunquam habuit, nec vnquam sibi arrogauit. Ea autem iura, quae ei competunt, adhuc ipsa habet, quoniam Circulo Sueuico etiamnum adscripta, nec vnquam de nexu circulari exempta fuit. Nam Ferdinandus Archidux & Romanorum Rex in litteris ad Circuli Sueuici Status expresse declarauit: *Dass Sie nie gesinnet gewesen, und noch nicht seyen die Stadt Constanz dem H. R. Reich und den Creysß-Ständen zu entziehen &c.* GOLDAST. *Polit. Reichs-Händel* P. XXV. pag. 1006. 1015. Etiam si vero Augusta Domus Constantiam pleno iure acquisiuisset, ne illa tamen iura omnia, quae haec vrbs in Lacum Bodamicum olim habuit, in illam transiissent, postquam integer Landgrauatus Turgouiensis in potestatem confoederatorum Heluetiorum venit. Hi enim ex eo tempore per suos praefectos prouinciales impediuerunt, quo minus Constantienses, alique, in Lacu Bodam., qua Turgouiensem ditionem alluit, aliquid moliantur, nec permiserunt, Constantiam in illo tractu iurisdictionem vterius exercere. vid. WALDKIRCH *Eydgens-Bunds und Staats-Historie* P. I. pag. 223. et 253. P. II. pag. 285. et 633. STVMPE. L. V. et LEXIC. BASIL. voce *Thurgoew* et *Bodensee*.

§. XXI.

QVOD si quis forsan inde, quod Caesarei et Austriaci Gubernatores turbulentis belli tricennalis temporibus *Lindaviae*, Constantiae, et Meinaviae, dominium lacus Bodamici sibi

fibi tribuerint, probare vellet, Augustissimae Domui Austriae dominium eminens competere, maxime falleret, quoniam de facto, minus vero de iure, illud sibi arrogarunt, vt *Recessus* de an. 1580., vsque ad annum 1711. confecti abvnde testantur. Nec denique Celsissima Archiducalis Domus Austriaca ius quoddam eminens, vel dominium plane priuatiuum et absolutum in mari Sueuico inde sibi arrogare potest, quod Circulus Sueuicus omnia ea, quae in mari et litore eius curanda et administranda sunt, praeuia plerumque communicatione atque accessione Austriaca suscipiat. Nam saepissime etiam contigit, vt, si Austriaci gubernatores cum reliquis statibus societatem inire noluerint, hi hoc non obstante dominium et imperium sibi competens absque illorum concursu exercuerint. Nec, si dicendum, quod res est, dominiij supremi natura patitur, vt Celsissimae domui Archiducali competere possit. Dominium eiusmodi enim ad superiorem priuatiue pertinet, qui illud, summo imperio suo saluo, singulis concedere nullo modo potest. Per hanc itaque naturam suam, praeter Imperatorem, nemo Principum, quisquis ille etiam fuerit, potestatem habet eminentius hoc ius in territorio alieno sibi tribuendi. Ceterum, vtrum hoc dominium eminens idem sit cum imperio, an et quomodo posterius a priori differat, in praesenti non disputamus, nec nostrum est, litem, quae olim inter *HORNIVM* et *WILH. LEYSERVM* super hac re agitata fuit, recoquere, idque eo minus, quoniam tota lis vltimato in *logomachiam* abiisse videtur, id quod non tantum ex collatione auctorum allegatorum, sed et ex obseruationibus *EPSTE-
NII*, quas *HORNII Parti architectonicae de ciuitate* adiunxit, satis adparet. Dominiij eminentis denominatio proprie sumta huc plane non quadrat.

§. XXII.

DOMINIVM et imperium *particulare* est penes Status singulos, singulasque civitates et communitates nostri **Lacus** littori adjacentes, idque ex principio illo vniuersaliter approbato, quod *Jurisdictio* particularis cuiusvis maris interioris et particularis ad populum, ciuitatem vel principem eum, qui proximos portus et circumiacentia littora in potestate sua habet, perinde vt flumina terras interfluentia, territorii iure pertineat. Nam sub appellatione territorii naturaliter quoque comprehenditur mare territorium alluens: *GROT. de mari, lib. Cap. V. GRYPHIANDER de iuribus C. XIV. n. 14. et 15. STRUV. Syntag. Iur. Feud. C. VI. §. 7. n. 1. OETINGER de iure limit. L. I. C. 12. n. 6. 7. MAVLIVS de mari tit. VII. n. 1. seq. Conf. I. P. WESTPHAL. Art. X.* Vi huius iuris status Lacum nostrum accolentes quidem omnes ac singuli libertate naturali gaudent, quaquaersum et in singulis maris partibus nauigandi, piscandi, commerciaque exercendi, nisi quatenus iura haec per leges et conventiones publicas restricta reperiantur, id quod varia ratione etiam factum est. Complures enim ciuitates cis et trans mare sitae specialia pacta et conventiones cum vicinis aliisque maris accolis ciuitaribus inierunt, quibus certi quid determinatum ratione nauigationis partim, partim vero exportationis et subuectionis mercium et frumentorum. Tales pactiones inter se fecerunt *Lindavia*, et *Constantia*, *Fussacum*, *Reineccium*, *Rorschacum* aliaeque: *Vberlinga* et *Heiligenberga* intuitu *Vldingae* atque aliarum ciuitatum in *Heluetia* sitarum; quo etiam referenda est conuentio *Steckbornae* 1580. inita de qua infra, Sect. IV. Restrigitur etiam tempore

pore belli et ingrauescente annona libertas Heluetiorum nautarum, quibus singularibus Circuli decretis interdicatur, ne frumenta aliasque necessitates in imperii terris coëntas nauibus suis extrahant et transuehant, quo interdicto simul omnes imperii ciues prohibentur, frumenta in Heluetiam mari importare. Ius subuehendi frumenta in Heluetiam quibusdam locis maritimis tantum concessum est, ita, vt pro circumstantiarum ratione certam et nominatam quantitatem singulis septimanis exportare queant. Prohibentur quoque nautae in diuerticulis non priuilegiatis an *Neben Orten* und *Winkel-Staedinen* commorantes clandestinas nauigationes exercere. Nec permissum est imminente periculo hostili ad quaelibet loca munita frumenta apportare, et inde in Heluetiam transuehere: Constitutum potius est in Circuli Recessibus, vt *Constantiam*, *Vberlingam*, *Bregentiam* et *Lindauiam* &c. apportentur.

§. XXIII.

QVAESTIO illa famosa, quousque nimirum dominia f. imperia particularia gentium in mare se extendant, multum sudoris Doctoribus expressit. In eo quidem plerumque conueniunt, quod tractus maritimi et iurisdictionales eousque pateant, quo cuiusvis territorium prope mare porrigatur. Ex hac communi opinione STRVVIVS l. c. affirmat, eum, qui habet in terra, etiam in mari terram suam alluente dominium ac iurisdictionem habere, in quantum se extendit territorium prope mare: siue vt OETTINGER *de iure limit: L. I. c. 12.* hanc rem explicat: *mare esse de districtu illius ciuitatis locive, qui consinat cum mari pro latitudine s. longitudine confinis territorii.* Eandem sententiam, praeter multos alios, fouet quo-

que ROSENHAND in *Diff. de iure transeundi perterrit* : At ratione quaestionis illius, quousque nimirum iurisdictio in mare ipsum se porrigat, mirus se prodit dissensus. Quoniam haec quaestio de imperio illarum gentium, quarum territoria ad oceanum sita sunt, ventilatur, eoque ipso a scopo nostro aliena est, frustraneum susciperemus laborem, si de illa solvenda solliciti esse vellemus. Cuius interest, varias de hac re Dd. sententias novisse, illi satisfaciunt affatim CAEPOLLA *de servit. P. R. tit. de mari* n. 16. seq. BODINVS *de Republ. L. I. c. 10. n. 170.* HIERON. *de Monte de finibus regund. C. 7. n. 12.* sq. STYPMANN *de iure marit. C. V. n. 51.* seq. FVNC. Consul olim Lindav. meritissimus in *Diff. cui titulus Mare vult patulum.* MAVL. *de mari Tit. 6. n. 2.* LYNCKER *de iure conduc. Ivl. PACIVS de domin. mar. hadriat. pag. 40.* seq. SCHRADER *select. quaest. s. 28. n. 4.*

§. XXIV.

AD definiendam hanc quaestionem intuitu maris nostri, terris vndique infusi et circumscripti, optime sine dubio facit CONRINGII sententia, qua asseritur : *Non ubivis aequaliter exporrigi maris dominium particulare, sed alibi illud latius patere, arctioribus alibi includi finibus, idque non, nisi exploratis cuiusvis loci priscis moribus iuribusque definiiri posse.* Ratio huius asserti est, quod priuatae possessiones vnice ab hominum arbitrio dependeant, gentium mores vero hac in re valde varient. Quum totum hoc negotium itaque ex moribus et institutis cuiuslibet gentis definiendum est : etiam nobis ad id respiciendum erit, quid partim priscos per mores receptum, partim vero per pacta conventa Statuum Lacum nostrum accolentium determinatum fuit. Non desunt data, quae ad piscationis et navigationis iura

iura explicanda faciunt, quoniam autem a proposito nostro, quod est *Lindaviae* iura particularissima evoluere, nimium recederemus, si rem hanc in toto suo ambitu pertractare vellemus, satis habemus hic ad supra iam laudatam WEGELINI Diff. de dominio maris Suenici prouocasse, nulli dubitantes, quin lectoribus harum rerum curiosis satisfacturus sit. Dictis tamen per inferius dicenda maior adhuc lux affundetur.

§. XXV.

Ut ea, quae de particularissimis *Lindaviae* meae iuribus dicenda erunt, eo melius intelligi queant, operae pretium erit, generaliora quaedam de huius ciuitatis natura, denominatione eiusque iuribus praemittere. *Lindauia* patria mea dilectissima iucundissimaque, vrbs S. R. I. antiquissima in ipsa lacus Acronii insula sita, duplex nomen habet. Licet enim plerumque *Lindauia*, s. *Lindaugia* appelletur, nota tamen quoque est sub *Venetiarum Sueviae* nomine. Posterioris huius denominationis non vna eademque redditur ratio. Nam ex nonnullorum opinione *Lindaviae* vrbi ideo *Venetiarum* nomen tribuitur, quia illam inter & *Venetias* in mari Adriatico sitas magna intercedit situs similitudo. Alii e contrario ideo vtrique commune tribuunt nomen, quod communem vtrique habuerit ortum. Hunc autem ita exponunt. Postquam Attila Hunnorum rex Seculo V. cum immenso exercitu suo Italiam inundans Aquileiam urbem olim elegantissimam, ad mare Adriaticum sitam, devastasset, incolae eius locum depopulatum derelinquentes, atque in insulas proximas parte se recipientes, urbem aedificassent illam, quae hodie nunc sub *Venetiarum* nomine floret. Alia autem illorum pars in insulam nostram peruenisse et oppidum nostrum sub eadem

dem denominatione ibi exstruxisse, dicitur. Quo autem illae ab his eo facilius tutiusque distingui queant, posteriores sine *Sueviae* cognomine nunquam venire affueverunt. Eum in finem et Germanice *klein Venedig* vocari solent. vid. MOSER *Reichs-Städtisches Handbuch* voce *Lindau*. Ut asserti huius veritatem discutiamus vberius, illudque cum supradictis pariter ac subsequenter conciliemus, instituti nostri ratio non permittit.

§. XXVI.

NOMEN *Lindau*, quod vñu communi receptum, sine omni dubio compositum est ex vocula *Linden* et *aw*, quae coniunctim constituunt vocabulum *Lindenaw*, contracte *Lindau*. *Au* significat veteribus et recentioribus Germanis campum irriguum, pascuum, item insulam inter amnes, de quo HENSCHIVS in *Lexico linguae Germanicae* vberius egit. Restant adhuc ex aevo vetustiori exempla, quae nos satis conuincere valent, tales insulas, (vti *Lindania* est,) iam olim ex ista voce *aw* nomen compositum adsumsisse. Spectat huc *Augia dives*, in parte Bodamici Lacus inferiori, *Veneto* dicto, e regione urbis Constantiensis sita, qua denominatione ager quasi summe fructifer, vel pascuum peropulentum denotatur, quae in sermone vernaculo nostro *die Reicheau* appellatur. Corroborat sententiam hanc VADIANVS in *MSt. Germ. von dem obern Bodensee*, vbi expresse dicit: *Lindow hat den Namen von der Insel, auf die sie gebauen ist, welche die teutsche auch ein Au nennen, als unten in demselben See die Mainow, im Zellersee die Kychow &c.* Nec in insulis, nec in minoribus, sed et maioribus, regionibus denominandis vñ sunt maiores vocula *Au* vt *Brisgau*, *Sundgau*, *Wetterau*, *Dessau* satis testantur. Quum vocula

cula *ow* f. *oww* idem denotet quod *au*, extra dubium est, quod non Germani soli, sed et aliae gentes, vt Russi, Poloni &c. in denominandis regionibus, vrbibus, et vicis illam adhibuerint. *Moscovia, Kyow, Warsovia, Cracovia* &c. infinitaque alia exempla abunde hoc docent. Ex communi hoc gentium vsu simul antiquitas huius rei eo magis elucescit. Hoc ipso, nisi egregie halluciner, confirmatur, quod Sueui, vt supra dictum, ex septentrionalibus regionibus ad inhabitandas meridionales has plagas venerint. Quemadmodum vero *Reichenau* a diuitiis, ita *Lindavia* nostra a tiliis, quae germanice *Linden* dicuntur, et vocula *au*, dicta est. Quod autem insula nostra tiliarum plantationi a pluribus retro seculis non tantum apta fuerit, sed quovis etiam tempore multas mirae magnitudinis tilias produxerit, a nemine in dubium vocatur. Argumenta pro sententia nostra stabilienda exhibent *CRVSIVS* in *Annalib. Suevic.* *DRESSERV* in *Lib. de Germania vrbibus* et *REVSNERVS* de *urbibus imperial.* claris verbis scribit: *Lindoa* siue *Lindavia* (quae graecis *Philyrea* est) vulgo appellatur a tiliis. Nec mirandum, quod denominationes locorum a se inuicem distinguendorum ab eiusmodi circumstantiis peccantur. Nil enim facilius, nil quoque vsitatius, quam vt homines eiusmodi signa, quae sine vlllo negotio in sensu incurrunt, in auxilium vocent. Iuuant hanc sententiam quoque insignia vrbis nostrae antiquissima, quippe quae in albo clypeo tiliam viridem ferunt. Inde nullum assensum sibi mereri videtur opinio eorum, qui putant, nomen vrbem nostram accepisse a voce *anländen*. Ad stabiliendam hanc hypothesein, narrant, *Adalbertum* quendam, *Comitem S. Palatii*, (qui sub *Carolo M.* et *Ludovico Pio* vitam degit) sub initia se-

D

culi

culi IX. ex prospero suo ad insulam nostram appulsu, cum antea vndis aquarum iactatus periculum vitae adiiisset, nomen ipsi dedisse et *Lendenau* siue *Lendaw* vocasse.

§. XXVII.

ORTVM et fundamenta sua prima *Lindavia* quidem ex certis documentis demonstrare nescit: at hoc ipsum est certissimum vetustatis signum. Hinc MELLINVS l. c. hoc inquit: cum pluribus aliis Imperii vrbilus commune habet, ut certissimo vetustatis indicio natales genuinos ipsa ignoret. Idem quoque ex illius situ vetustatem colligens: certe, dicit, si situm spectes, non facile dixeris, insulam, appulsui nauium maxime omnium in vniuerso Lacu commodam, per tot secula nomine caruisse. Quibus suppositis, inhabitatam eam quoque fuisse, omni dubio caret. Et si quoque non prius, Augusti saltem tempore, vrbs condita fuit, ut ex STRABONE apparet, qui simul docet, quod a Tiberio conditore vel restauratore suo *Tiberii insula* tum temporis dicta fuerit. Ostendit illa etiam antiquissimi cuiusdam aedificii rudera, turris ex silice quadrato exstructae speciem prae se ferentia. Opus hoc, quod olim a Tiberio exstructum, gentilium murus, germanice *die Heyden-Mauer*, dicitur. Validissimum castrum vero hodiernum in margine insulae meridiem versus conspiciendum, atque ex lacus fundamentis etiam ab eodem Tiberio eductum, vernacula lingua nostra *die Burg* appellatur. Quae de re STUMPFIVS *Chron. Heluet. L. IV. c. 9.* ita scribit: *Lindau ist der ältesten Schiffslande am Bodensee eine, und achtens etliche, daß der Kayser TIBERIVS auf diesem Platz sein Lager und Schiffrüstung wieder die Vindelicier gehabt habe, darvon STRABO im 7. Buch schreibt. Es wird auch aus AMMIANI Anzeigung erachtet, daß der Römisch Gebietber und*

und Feldherr CONSTANTIVS allda wider die Allemannier sein Weesen und Laeger gehet, und ist auch hernach allezeit ein vernampter Pass und Überfuhr des Bodensees gewesen. Man siebt bey dem Thor, darvon die Prück hinüber gadt, ein wunder alten Thurn, die Heydenmauer genant. Cum his conueniunt, quae VADIANVS in MSt. Germ. von dem oberen Bodensee habet: Ita autem ille: Lindor bat den Namen - - An diesem Platz ist der aeltesten Schiffflände eine gewesen, die am Bodensee liegend, und trag nit zweifel, dann daß der Kayser TIBERIVS auf diesen wöhrlichen Platz seine Schiffflüßung wieder die Vindelicier und Schwaben, seine Provinz zu erweitern, gehalten habe, und dahin seine Macht, wann er bat wollen, ob dem Gegengelände bringen und führen mögen, und viel Jahr nach demselben Kayser CONSTANTINVS, wie er für Kempten beraus an den Bodensee kam, sein Wesen aldar gehabt habe. Vt MUNSTERUM CRUSIVM, HEIDERUMQUE in actis Lindauienßibus praesertim vero ILLVSTR. IO. REINH. WEGELINVM in supra iam laudato tractatu, eadem de re loquentes iam taceamus.

§. XXVIII.

DE situ insulae, de indole vrbs nostrae, de variis illius fati, quae sub diuersis Imperatoribus habuit, de acquisita libertate, aliisque capitibus loqui si vellem, dicendi materia plane non deesset. Quoniam autem nimium a scopo meo recederem, CRVSIVM, DRESSERVUM, praesertim vero iam faepius laudatum MELLINVM, cui volupe est, euoluere harum rerum curiosi possunt, vnde sitim etiam ardentissimam, restinguere facile licebit. Auctores enim illi solertissimo huc facientia conquisiverunt studio. De portu autem, eiusque qualitate, pauca vt adjiciam, rei necessitas postulat. Omni ille navigationum et commerciorum generi opportunior

est, quam vilius alius vrbs ad lacum nostrum sitae portus esse queat. Hinc non solum ob situs et loci tam ad struendam, quam stationem navium perfectissimam comoditatem, amplitudinem, securitatem, sed etiam ob frequentiam et multitudinem cuiuscunque generis nauigiorum primas facile tenet prae ceteris lacus nostri portus. Quenam nauium commercio inseruientium indoles, et quanam illarum species sint, suo docebimus loco, dicendaque ex documentis confirmabimus. Vnicum ad dicta probanda allegasse testimonium, hoc loco sufficiet. Exhibet hoc *CRVSIVS Annae. Sueu. Lib. Paralip. Cap. 20. Vebuntur, inquit, per lacum nauigia praealta, ampla, ponderosa, eorumque multa quotidie fere velis albis Lindauiam multis cum hominibus et mercibus ex Rhaetia, Heluetia, Italia. Importantur vinum, fumentum et alia. Oppidum multis et egregiis aedificiis est ornatum, aquis, castris, moenibus, turribus, palis circum defixis, armamentario denique instructissimo praecclare munitam.*

§. XXIX.

DOMINIVM particulare seu singulare, quo vrbs nostra prae reliquis statibus in Mari Sueuico fruitur, ob situs comoditatem et portus opportunitatem excellentiamque praeminens est, dum illud etiam extra districtum ordinarium exercet, id quod non ex vsu solum atque longissimo ex exercitio, sed etiam ex documentis antiquissimis demonstrari potest. Vi huius praeminentis Domini competunt illi in superiori lacu intuitu nauticarum & piscatoriarum rerum partes praecipuae. De praerogativis, quibus tribus piscatoria, quae *Lindaviae* semper floruit, fruitur, et quae conexam habet potestatem tribunitiam, *den Zustzwang* in distri-

Etu

Et lacus superioris ampliori, pluribus egit WEGELINVS de *domin. mar. Sueu. Sect. IV.* vbi et antiquissimas ad sententiam suam probandam adduxit conventiones. Idem docet, quod iurisdictio omnimoda *Gebiet und Gericht auf dem Bodensee* competat *Lindaviae* non tantum, quousque mare vadofum et cliuosum prope insulam se extendit, nec tantum *auf ihren Gründen und Haldinen*, qualem alii vicini Status habent, nec etiam ad mensuram tormenti explosi, sed medium vsque lacum et vbi lacus ille alteri regioni vel terrae magis vicinus non est. Traditam hanc a maioribus iurisditionem absque omni contradictione legitima, vt vetustis, ita et recentioribus temporibus per centenos actus possessorios exercuit. Quam veritatem negare qui auderet, innumeris lulentissimisque praeiudiciis et testimoniis tam circuli Suevici, quam Statuum Auftriacorum et Helueticorum vicinorum facili negotio contrarii convinceretur.

§. XXX.

Ad liberum in mari Sueuico commercium tuendum requiruntur naues excursoriae, exploratoriae et excubitoriae. Hae quoque *Lindaviae* semper et quidem omni apparatu et instrumento bellico instructae seruantur paratae. Quae si bellicis temporibus ad hostiles excursiones impediendas non sufficiunt, illarum numerus augetur. Quod hoc vere factum sit, belli tricennalis historia quemvis docere potest. Non autem naues eiusmodi seruat tantum *Lindavia*, sed, vt ad omnes conventiones maritimas inuitatur, atque adiungitur, prae ceteris omnibus, foederibus nauigationis et commerciorum causa pactis: ita maximam plerumque eorum, quae requiruntur ad exstruendas naues, comparandas copias, aliaque,

quae ad belli adparatum spectant, praestat partem, et si periculum adest, onus defendendi superiorem lacum ad magnam distantiam vsque in se suscipit.

§. XXXI.

Ad vias publicas securas tutasque reddendas, ius conducendi (*die Geleitsherrlichkeit*) ius indagandi, persequendi ac conquirendi (*das Streiffen*) in terra necessarium est. Quum autem nauigatio et commercia maritima non minorem exigunt securitatem, etiam Lindauia mea iuribus dictis, quae in mari *das Kreuzen* vocantur, vtitur in lacu Bodamico, hoc est protegit et defendit nauigationem, et data occasione indagationem, persecutionem, et animaduersionem grassatorum et transgressorum (*die Contrabandisten*) instituit et nauibus suis exploratoriis atque excursoriis (*Jagd und Convoy-Schiffe*) mare nostrum tutum praestat. Quo regali eximio Lindauia non tantum intra ditionis suae limites vtitur, sed in toto fere Lacu armatis nauibus exploratoriis et excursoriis, necessitate publica sic iubente, ius hoc exercet.

§. XXXII.

VT Lindauia his iuribus rite vti et simul obligationibus suis satisfacere queat, hoc est, vt clandestinam turbationem nauigationis impedire, bellicis temporibus vero vicinis ciuitatibus maritimis, si forsitan obsideantur, auxilio esse, eumque in finem necessaria ad belli apparatus et victum pertinentia, imo et copias, subuehere possit, vt in tricennali, aliisque bellis factum; ius ipsi tribuitur, naues in locis apertis et indefensis *an unverwahrten Porten und Städinen*, conquirendi, quod ius in l. 4. §. 1. ff. de veteran. *angariare* a Belgis et Germanis vero premere naues *pressen* appellatur, vid.

Loc.

LOCEN: de iure marit. et naut. L. I. C. 5. §. 2. STRAVCH de Imper. marit. C. VI. §. 2. seq. Subest tamen et alia causa, cur vrbi nostrae hoc ius concedatur, vt scil. hoc modo hostes impediatur, quo minus navibus nostris in praeiudicium publicum abutantur. Ratio autem, cur nostra vrbs hac praerogativa prae aliis gaudeat, est, quia portus Lindaviensis nauibus imminente periculo hostili tutissimum praebet receptaculum. Eadem portus nostri commoditas atque excellentia, praeminensque prae aliis ciuitatibus maritimis in lacu potestas efficit, vt Lindaviae competat ius stapulae, licet, non pleno iure, saltim tamen exonerandi, mensurandi, solvendique vestigal. Hoc enim ius non semper comprehendit necessitatem vendendi merces exoticas, de quo conf. BESOLD *Thesaur. practic. contin.* voce *Geranium*. KLOCK de *contribut.* C. I. n. 272. ELBERT. LEONIN. *Cons.* 7. seq. et LEHMANN *Chron. Spirens.* L. IV. cap. 22. His iuribus merito nauigandi et commerciorum iura accensentur, de quibus, vt scopo nostro satisfaciamus in specie agendum, omneque illud, quod ad illa rite intelligenda facere potest, vberius euoluendum iam erit.

S E C T I O I.

DE IVRE NAVIGANDI LINDAVIAE
COMPETENTE GENERATIM SPECTATO.

§. I.

Ius navigandi est ius s. potestas naues habendi, iisque vtendi. Comprehendit hoc ius duas partes, quarum alteram *ius navigandi* in specie, alteram vero *ius nauale* appellare licebit. Prius denotat tantum facultatem, libertatem, s. potestatem naues habendi in flumine aut mari. Haec facultas vero necessario non inuoluit vsum, nec exercitium Iuris navigandi, i. e. non requirit, vt quis actu ius suum exerceat, & navigationem vere instituat. Posterius vero *ius nauale* scil. est facultas naues actu habendi iisque vtendi, ideoque est exercitium Iuris navigandi. Vnde, etiam me non monente, facile patet, ius nauale sine iure navigandi esse non posse. Hoc vero locum sine illo habere quod possit, vel ideo forsan in dubium vocabit nemo, quoniam iuribus suis renunciare cuilibet licet. Et quamuis, quoniam navigatio maxime lucrosus est negotium, non facile fieri solet, gentem aut ciuitatem quandam huic in totum renunciare; ex parte tamen quod fiat, aut factum sit, exemplis probari poterit. Sic Celsissima Archiducalis Domus Austriaca ratione portuum suorum in Belgio sitorum navigationem ad Indas vtrasque eodem iure ac Belgae, Angli, Galli, Hispani &c. exercere possent; quod tamen iuribus hisce inuidiae vitandae causa non vtatur, experientia loquitur. Vt alia iam taceamus. Quemadmodum igitur in sexcentis casibus aliis, ita in eo etiam, de quo nobis in praesenti sermo est, ab existentia

sentia iuris ad ipsius illius iuris competentis exercitium colligere non semper licet. Interim, quoties ius quoddam cum suo exercitio coniunctum est, siue quod idem, quoties quis iure suo sibi competente actu utitur, *completum*, quoties vero ius sine exercitio est, *incompletum* s. nudum vocari poterit.

S. II.

SVpra iam monuimus, quem modum naues onerandi nautis suis praescripserit Lindauensis magistratus, monuimus quoque, quid huius rei ergo in conuentu Steckbornensi dispositum. Vt vero, quaenam obligationes atque iura mutua inter Lindauenses et reliquarum ciuitatum nautas etiam hac in re obtineant, vltcrius appareat; praeceptum illud, quo extraneis aequae ac domesticis nautis interdictum, ne nauibus suis nimia imponant onera, coronidis loco adiciere licebit. Exstat illud in ordin. naut. de a. 1683. art. 18. huiusque est tenoris: Nachdem auch bißhero nicht geringer Schaden erfolgt, und entstanden, auß dem, daß etliche genachbarte Schiffleuth, als Rheinegger, in specie aber, der Schalberger, Item die Zuffacher, Norschacher, und andere Schiffleuth in der Nachbarschaft dieses Sees, ihre Schiff und Lößinen, wann sie allhie ankommen, im Wiederhinweg fahren, mit Frucht und andern Wahren, dermaßen so gefährlichen überladen, daß nicht allein die Schiffleuth und andere, in äußerste Gefahr ihres Lebens gerathen, sondern, daß sie auch wie leyder oft geschehen, bey starkhem Wind und Ungewitter, durch solchen überlast die liebe Frucht, so man ihnen aufgeben, und
andere

andere Güther, zu Manniglichs grossen Schaden und Verderben, auß ihrem Schiff und Lödinen in See werffen müssen; diesem gefährlichen und hochnachteiligen Wesen nun umb, so viel möglich, mit ernst zu begegnen, und abzuwehren, ist dieser Einseß Ehrsamem Raths ernstlicher Befelch, und wollen, daß sich die obangedeute Fremde Schiffeleuth, ihres bißher gebrauchten übermäßigen Ladens bey Straff vier pfunde pf. gänzlichen enthalten, und ihre Schiff und Lödinen anderst nicht laden, noch damit hinweg fahren sollen, sie haben dann die port oder das Meß, welches der verordnete auff der Lücken bey handen, und Sie Schiffeleuth bey ihme allwege finden, haben und gebrauchen können; dann welcher demselben zuwider handeln, und sein Schiff oder Lödin, wieder wie zuvor überladen, und muthwillige Gefahr hierunter brauchen, sich also dem jetztangedeuten meß oder port nicht gemäß verhalten wurde, (wie man dann deswegen fleißiges Aufsehen anordnen und bestellen, und dem verordneten auff der Lücken, deswegen Befelch geben wird) von demselben Ubertretter sollen die obgesetzte 4. R. pf. straff unnachlässlich eingezogen, und dem, der ein solches der Obrigkeit zur straff angegeben hätte, der halbe Theil von solcher straff erlegt und bezahlt werden.

§. XXIII.


Sic hunc laborem sub diuinis auspiciis finiendo optamus, vt quilibet obligationibus sibi impositis satisfaciat, nemo autem e contrario iuribus suis abutatur, quo pax atque amici-

CVI DE IVRE NAVALI, LINDAVIENSIVM.

amicitia semper conseruetur. Quum vero voti huius iustissimi expletio propter hominum imbecillitatem vix speranda est: optamus saltim, vt, si lites hoc vel illo modo in posterum forsã enascantur, eodem amicabili modo, quo supra dictae diremtae fuerunt, hoc est, pactis, non vero armis finiantur. Hac ratione enim, si non facilius, humanitati et fanae rationi tamen conuenientius, iura conseruari poterunt.

§. XXIV.

CAETERVM humanitas L. B. sperare iubet, fore, vt opusculum hoc aequi bonique consulturi sint. Perfectum omnino non est! nec eiusmodi quid, qui aequa lance res ponderare et cogitare voluerint, primum hunc esse ingenii foetum, a nobis iure exspectare possunt. Quod si votis nostris amicas applicent aures, primumque hoc qualis cunque scientiae nostrae specimen non omni attentione indignum arbitrentur; fieri poterit, vt, si circumstantiae permittant, plures huius generis labores cum orbe erudito aliquando communice-
municemus.



GENE-

7.

GENEROSO ATQVE DOCTISSIMO

DOMINO DOCTORANDO

HVIVS OPVSCVLI AVCTORI

S. P. D.

ANDREAS ELIAS ROSSMANN

ICTVS.

HAVT ignobilem partem iurisprudentiae occupasti, si quidem de re nauali lacus Bodamici, Patriae TVAE florentissimae fines circumfluentis, monumenta vigiliarum TVARVM TIBI statuere anniteris. Elucent hac in tractatione ingenii TVI atque doctrinae signa dignissima; non enim legum Ciuitatis TVAE studio exardes tantum, sed et hoc in opusculo monstras, TE totius iurisprudentiae in nostra Fridericiana mare percurrisse, atque TE insulas ICTorum fortunatas attigisse feliciter. Quicquid enim Doctores Iuris Gentium de Imperio atque Dominio Oceani et lacuum disputant, hoc tamen concedere necessum habent, comiter colere debere nauem minorem maiores: nauem ipsam, portus, litora maris, etc. in dominio esse, atque de rerum et personarum, de que earum, traiectione pactis et delictis occurrere, quae omnia certis regulis includenda, atque a ICTis diiudicanda veniunt, quaeque, ratione obiekti, iurisprudentiam naualem efficiunt plane. Hanc, qui bene coluit, quis vero iurisprudentiae amantium negligere eam potest,

X

est,

est, se scientiae iuris partes reliquas intelligere commo-
strat vberime.

TIBI DOMINE DOCTORANDE eruditionis lau-
dem non pollicijuntur modo, sed et vere praestant com-
mentarii Tvi iuris lacus Bodamici, referti probationibus
integris atque inexpugnabilibus. Nulli his atque aliis mo-
numentis moti dubitauimus, summos in iure nostro honores,
quos inter plures optime mereris, TIBI promittere, TIBI-
QVE, vt nullus de eruditione TVA sibi scrupulum mouere
queat, sine praeside cathedram, ad defendendum TVVM,
proprio Marte elaboratum opusculum, concedere. Specimen
hoc industriae atque sollicitudinis TVAE assiduae ex
animo gratulor, certissime persuasus fore, vt in Patria TVA
florentissima emineas inter celebriores olim. Sunt TVI
WEGELINI atque HEIDERI, quorum laudes pulcherrimae
ad imitandum TE gloriae suae stimulis excitant. Excitauit
TE WEGELINVS, nunc beatus, ipse consiliis suis, vt TIBI
in nostra Academia, praeterquam quod mores integerrimos
reuerenter coluisti, non fuerit satis, ex compendiis
scientiam iusti haurire, verum cupiditate hac nobili affe-
ctus, fontes ipsos, tanquam melioris succi, me duce, in
iure Publico Germanico, accessisti atque in vsum rite intel-
lecta conuertisti. Sic cupio TIBI, TIBI QVE bona omnia suc-
cessura auguror non sine causa. Para iter, idque sustine
bono cum DEO felicissimum, vt in amplexu familiae TIBI
charissimae, praepriis dulcissimorum Parentum, qui in ve-
geta sua aetate TE in solatium, et ornamentum senectutis
summopere expectant, opportune ruas. Vale. Dabam
Erlangae d. XVI. Kalendar. Iul. An. M DCC LXIV.

VIRO

V I R O
GENERIS NOBILITATE
VIRTUTE AC ERVDITIONE
PRAECLARISSIMO
MATTHAEO SEVTERO DE LOETZEN
FAVORI ATQVE AMICO SVO
OMNI HONORIS ATQVE AMORIS CVLTV
PROSEQVENDO
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
EX INTIMO ANIMI AFFECTV GRATVLATVR

M. CHRISTIANVS MASIVS
PROF. PHILOS. EXTR.

Laudarem; VIR GENEROSISSIME, desiderium ardens studiumque intensius TVVM, quo egregias, quibus benigna TE ornauit natura, animi dotes ita perficere atque augere anniteris, vt officiis DEO, TIBI met ipsi ac Reipubl. debitis pro virili satisfacere queas! Laudarem diligentiam TVAM haud vulgarem, qua tantam doctrinarum copiam collegisti, vt perosque omnis generis Commilitones TVos multis facile superiores modis! Laudarem TE, quod per indefessam Legum culturam eo ascendere sciueris, vt ad summos in vtroque iure honores obtinendos non tantum adspirare, sed etiam eruditissimae dissertationis inauguralis TVAE defensionem publicam solus, solo DEO praefide, aggredi valeas. Laudarem morum TVORVM dexteritatem atque elegantiam, laudarem has et plures alias praeconio dignissimas virtutes TVas, nisi modestiae, quae TIBI propria est, et quam villo modo laedere conscientiae mihi du-



co, parcendum esset, meaque in laudibus dicendis imbecillitas silentium mihi imponeret. Tu enim veris solidisque virtutibus contentus, gloriae, praecipuis vanae, cupidus haud es. Ego vero ad laudes TVAE rite concelebrandas parum aptum me sentio. Hinc gratum, imo gratissimum, mihi est, quod verecundia pariter ac magnanimitas TVA ab hoc officio subeundo me liberent. Interim tamen, quum omnes boni de laurea, qua in eruditionis acquisitae praemium ornandus jam es, Tibi gratulentur, faustaue quaevis apprecentur, numerum Tibi applaudentium me augere, aegre non feres. Quod si enim hac occasione otiosum agerem spectatorem, foecordiae non condonandae eo magis memetipsum damnarem, quo penitior concelebratione dignissimarum TVARVM virtutum cognitio mihi est data. Gratulor itaque TIBI, VIR GENEROSISSIME, de dignitate scientiae TVAE solidae, virtutibusque reliquis TVIS, summo iure debita! at gratulor quoque PARENTIBVS PERILLVSTRIBVS de filio erudito, bene morato et honorato! gratulor GENTI TVAE SPLENDIDISSIMAE, PATRIAEQVE TIBI carissimae de socio et concine, qui ipsis ornamento, adiumento et honori est et erit! gratulor OMNIBVS BONIS, qui rem vnquam TECVM habituri sunt, de honesto, aequo ac iusto rerum arbitro! gratulor denique et mihi de FAVTORE atque AMICO, quem antiqua fides commendat!

Sed quum mens mihi non sit, nudis congratulationibus, nec meris verborum lenociniis, aures TVAS melioribus rebus assuetas demulcere, idque eo minus quoniam verborum nunquam, rerum vero semper audium TE cognoui; cogitata quaedam disputationis eruditae TVAE obiectum concernentia prius, quam vltimum Tibi dicam vale, pace TVA adhaerere licebit. Placuit TIBI, VIR GENEROSISSIME, diffidentis legitimi munus mihi iniungere, eoque ipso a me exigere, vt in publico inaugurationis TVAE actu coram venerandae Themidos tribunali causam dicam Testimoniorum fauoris atque amoris erga me TVI hucusque mihi benignissime exhibitorum, quorum memoriam nullum tempus delebit, vt hoc non est minimum; ita grata illud officium subiturus sum mente. Quoniam TE, genuinum Iustitiae almae alumnum, non fugit, in ius vocatum sine praevia libelli communicatione neque litem contestari posse, nec ad respondendum obligatum esse; illius quoque, vt

ut actionem praeparare riteque instruere valerem, copiam fecisti. Traditum eo consilio, quo materiam exceptionibus formandis aptam colligerem, euolui. Quid sit? plura inueni monenda, quam sparta a Te mihi demandata postulauerit. Quid faciam? Seruatis, quae coram peragenda fuerint, reliqua, quoniam scribendi ex moribus receptis mihi facta est licentia, his litteris Tecum communicare volui. Omnem valorem, si quo digna, a benignitate Tuae exspectant dicenda. Quod si forsitan minus placeant, cogites velim, me non tam scientiae monstrandae, quam memoriam mei Tibi aliquo modo commendandi ergo, haec apponere.

Enarrasti in capite dissertationis eruditae Tuae praeliminari varias denominationes, quae mari Sueuico a Geographis et Historicis tribuuntur, quibus eruditorum de illarum origine adiunxisti opiniones. Inter illas germanica quoque occurrit denominatio, qua dictum mare *der Bodden See* appellatur. Quoniam et haec ansam praebuit, cur critici contrarias abierint in partes, coniecturas illorum enumerare oblitus non es. Tota circa vocabulum *Boden* versatur disputatio. Nolo in discordantium opinionum fundamenta anxius inquirere! Nolo censoria hanc vel illam notare virgulâ! Nolo earum frustraneam forsitan curiosus tentare conciliationem, multo minus, quaenam reliquis verior fortean sit, dictatoria fronte definire audax conabor. Ostendam tantum, *WACHTERI* a Te allegatam sententiam, quatenus in se spectatur, neutiquam esse improbabilem, sed cum rei natura optime congruere. Vtrum ratione temporis tanquam nouior reiicienda et *WEGELINI* Tui hypothesis praeferenda illi sit, in praesenti non disputabo. Quum propter monumentorum defectum solis in extricando hoc negotio standum sit coniecturis, quis quaeso! in tanta rerum incertitudine certi quid determinare audebit? Sententia autem mea eo redit. Vocabulum *Bodan* explicandum hic est in nativo suo significato, qui in communi vita receptus, quippe quo fundum siue partem alicuius rei e. g. vasis, nauis &c. inferiorem, cui reliquae tanquam fundamento suo innituntur partes, denotare consueuimus. Qui significatus quod denominationi lacus Bodamici egregie conueniat, ipsa rei natura loquitur, nec longe petitis ad assertum hoc probandum opus est rationibus: Ortum suum vestrum mare trahit ex rivis et fluuiis, quorum nomina et situm, praeter

fermonem praeliminarem Tuum, et tabula topographica dissertationi TUAE adiecta docet. Iam vero fluuiorum indeles non est ascendere, sed ex eminentioribus locis potius in depressiora descendere. Fluuu riuulique lacum Bodamicum, confluentes eandem indolem habent, eoque ipse, cum communem sequuntur naturam, ex adiacentibus regionibus eminentioribus descendunt et pro magnitudine sua suas, quas vehunt singuli, in lacum Vestrum, tanquam fundum suum, deponunt aquas. Quemadmodum igitur mare Sueuicum fundi, ita regiones illud circumiacentes laterum loco sunt, et hac ratione haec cum illo vas quoddam integrum formant, in quo aquae depositae stagnant, donec nimis abundantes et fundi ex altera lacus parte declinantis latera superantes desuunt. Quae coniectura, si cum reliquis circumstantiis conciliari aequae facile posset, ac naturae conueniens est, maiorem reliquis et ideo vnicum est, cui a fundo nomen tributum. Etenim in Pomerania vltiori prope Caminum, Patriam meam, formatur quoque quidam, minoris tamen, quantum memini, magnitudinis, quam Bodamicus, lacus per Viacri brachium partim, partim per alium riuum, qui cum priori aquas suas in fundum illum exonerat, ita tamen, vt abundantes vnae mediante portu Diuenau in mare Balticum descendant. Lacus hic, qui fundus, *der Boden*, sine vilo alio additamento, appellatur, *WACHTERI* opinionem legenti mihi in memoriam recurrebat, anfasque coniecturae, quam *TAEVM* in praesenti communico, praebat. Lacuum horum neuter inde nomen habet, ac si fundo careret, vtrique potius iure denominatio competit, quia fundi vere sunt, in quibus confident aquae vnicuique ex fluuiis descendentes, siue quibus vt fundamentis suis innituntur. Profunditas illorum hypothesi meae plane non repugnat. Etenim quoniam aquae ex superioribus et eminentioribus locis descendunt, et in lacubus resident, fundi illorum ratione fontium, vt laterum, profundiores et depressiores vt sint, necesse est. Quo pacto sententia *WACHERI* cum mea non tantum simul subsistit, sed maiorem quoque verisimilitudinis acquirit gradum.

Addere his liceat aliam cogitationem, cui denominatio *Acromasee*, qua lacus vester olim etiam insignitus fuit, occasionem dedit. Explicatio huius denominationis facillima mihi videtur, si linguam, quae in Germa-

Germania inferiori in usu est, et discriminis ergo *die Platteutsche Sprache* dicitur, in auxilium vocare velimus. Ex huius dialecti indole articulus *ein* pronunciatur plerumque per *a*. Eodem modo multorum vocabulorum terminationes pronunciantur, id quod mille exemplis probari facile possit. Hic tamen vocabulorum terminationes pronunciandi modus in variis quoque superioris Germaniae regionibus usu receptus est. Quibus suppositis vox *Acromasee* non vnum, sed, praeter articulum, ex duobus nominibus compositum est vocabulum, ideoque ex *a*, *Krumma* s. *Kromms* et *See*, constat, idemque est ac *ein Krummer See*. Dubitare quis de hypotheseos huius probabilitate ideo forsitan possit, quod lacus Bodamicus in extremis Germaniae superioris finibus situs multum ab inferiori Germania distet, et accolarum praesentium lingua a dialecto in inferiori Germania recepta multum discrepet. At dubium hoc adeo magni non est momenti. Nam denominatio illa *Acromasee* non hodie demum est orta, antiquissimis potius, ut praeliminaria TUA satis clare docent, in usu iam fuit temporibus. Iam vero pristini lacus vestri accolae, Suevi scilicet, venerunt ex septentrionalibus oris, ut Historici à TE, VIR GENEROSISSIME, excitati testantur, suamque linguam in illas regiones secum simul introduxerunt. Quae quidem licet paulatim mutata est quam maxime; mutationem tamen nunquam passam est talem, ut noua plane in pristinae locum successerit. Antiquissimae istius dialecti vestigia, quae passim adhuc occurrunt, dictis fidem facere valent. At si, haec supponere, circumstantiae quoque prohiberent; nihil tamen ob stare videtur, quo minus aliud hunc nodum explicandi medium in auxilium voeemus. Lingua illa in Germania inferiori etiamnum recepta pristino aevo aut in magna Europae parte floruit, aut in regionibus Suevicis, Helueticis, aliisque aeque bene, ac in terris Septentrionalibus, saltim viguit. Prius cur credamus, conuenientia, quam multa vocabula Gallica, Anglica, Danica, Suecica &c. cum linguae inferioris Germaniae vocibus habent, mouere nos potest. Haec ipsa conuenientia credere iubet, quod dialectus illa, quae *der Platteutsche* vocatur, mater sit multarum aliarum linguarum, aut arctiorem saltim, quam superioris Germaniae lingua, cum illis habeat nexum. Posterioris vero conuincere nos valent antiquiora documenta TUA, quorum parti-

particulas opusculo Tuò erudito inseruisti. Occurrunt in illis aequè ac in aliis antiquioribus monumentis, multae voces, quae originem suam fatiis manifeste produunt.

At ne TE, FACTOR ad cineres vsque colende, diutius, quam par est, minutis meis detineam, ne TUA abutar patientia; calamum abiicio, et bene, immo quam optime, valere TE iubeo. Discessum enim paras! Dolemus, eoque magis dolemus, quo maiori amore ac fauore hucusque nos cumulasti. Patrios lares reuifere festinas! Tristes sumus, non tamen repugnamus! plura debes PERILLUSTRI GENTI ac carissimae TIBI PATRIAE TUAE, quam nobis. Illa TE exspectat, vt post tot annorum absentiam TUA fruatur praesentia; haec vero, quo nouis TE cumulet dignitatibus. Non inuidemus TIBI felicitatem hanc, quam maxime potius gaudemus, optamusque ex sincera animi propensione, vt summum, idemque benignissimum, NYMEN omnes conatus TVOS fecundet, omnia ex voto TIBI fluere clementissime iubeat, TEQVE, VIR GENEROSISSIME, in TUORUM et PATRIAE TUAE, immo et in orbis eruditi, splendorem, ornamentum ac emolumentum quam diutissime saluum conseruet atque incolumem. Equidem vt plane conuictus sum TE in muneribus, quae TIBI conferenda sunt, administrandis dexteritatem, iustitiam ac aequitatem semper obseruaturum fore; ita nullus dubito, quin pro plane singulari humanitate ac beneuolentia TUA me, qui in TE colendo nemini secundus, amare studiisque meis fauere absens etiam perrexeris. Saltim

Sis memor, oro, mei, contra memor ipse manebo,
ere, T V I.

Dabam Erlangae d. 15. Iun.

M DCC LXIV.

Edler

O dler Freund! ia Dir muß es gesungen,
 Ehrenvoll den Lorber zu erringen,
 Der die Schläfe des, der Künste liebet,
 Würdig umgiebet.
 Niemahls stolz auf Deiner Ahnen Schimmer,
 Noch auf Reichthum, denn der währt nicht immer,
 Zeigtest Du stets wie erhabne Seelen,
 Nühmlicher wählen.
 Tugend war es, die Dein Herze reizte,
 Das nach nichts als edlen Künsten geizte,
 Und für diese immer mehr zu leben,
 War Dein Bestreben.
 Wer durch holden Musen Hand geführt,
 Dir o Weißheit Tag und Nacht nachspühret,
 Und Dich findet, muß den nicht bey Zeiten,
 Ehre begleiten?
 Ja dieß sehn wir izt an Deinem Sohne,
 Dem von Scutter. Von Astræens Throne;
 Wird Ihm als ihr Priester stets zu blühen,
 Der Kranz verliehen,
 Freund sey glücklich auf den Ehrenstufen,
 Wohin Dich Fleiß, Kunst und Tugend ruffen.
 Hiermit tritt Dein Treuster Dir zum Seegen,
 Wünschend entgegen.

Johann Friedrich Gottfried Flurer,
 B. N. B. aus Rothenburg in Franken,
 Opp.

XX

MONSIEUR.

Vous m'avez fait l'honneur de m'inviter à entrer en lice avec Vous. La partie n'est pas égale & Vous sentés bien Vous même, qu'en fait d'érudition, ce n'est pas avec un adverfaire tel que Vous, que je me puis mesurer. J'ai cependant accepté le parti, mais moins pour m'être crû en état d'avoir de fortes objections à faire contre Vôte savante Dissertation, que pour m'éclaircir de quelques doutes pour mon instruction particulière. Mais, MONSIEUR, comme j'ai l'avantage d'être du nombre de Vos amis, n'auries Vous pas eu quelque secrette raison de me prendre pour opposant? l'amitié, toujours ingenieuse à prendre toutes sortes de formes, ne Vous auroit elle pas inspiré cette demarche, pour me dire indirectement, qu'il n'y a rien de plus satisfaisant pour une belle Ame, que de jouir du fruit de ses travaux & de ses études, que de se voir à même de se rendre utile au public, & que c'est là le point, que je ne dois jamais perdre de vuë? C'est du moins sur ce pied-là que je le prends, sans crainte de me tromper; & pendant que je me rejouis autant qu'on le puisse faire, de Vous voir parvenir à la dignité, que Vos soins & Vôte diligence Vous ont acquise, & que je fais les voeux les plus ardens, pour que le Ciel Vous accorde toutes les prosperités imaginables; Cependant je suis aujourd'hui Votre admirateur. Que si, malgré tous mes efforts, Vous me laissez toujours bien loin derriere Vous, j'aurai pourtant la satisfaction, que personne au monde ne me surpassera dans la consideration & l'attachement avec lequel je fais profession de me dire

MONSIEUR

à ERLANG le 17. IVN.

1764.

Vôte très-humble & très-obeissant Serviteur
D. P. BULLA,
Etudians en droits d'Erlang.
Opp.

VIRO GENEROSISSIMO
DOCTORANDO DIGNISSIMO
DOMINO
MATTHAEO SEVTER DE LOETZEN.

S P. D.

P. M. WOERNER.


ROTHENBURG.

Curriculum academicum TVVM, VIR GENEROSISSIME, omni laude ad finem perduxisti. Summam in addiscendis iuris disciplinis semper adhibuisti industriam, eoque fecisti, vt de summis in vtroque iure honoribus acquirendis cogitare queas. Nec vana sunt vota TVA. Almae Fridericianae nostrae Patres perillustres, quoniam ipfimet solidis TE imbuerunt scientiis, merita TVA agnoscunt, ideoque doctorali dignitate in fine laborum ornare TE nulli detrectant. Dicitur jam est dies ille solemnus, quo, exhibito scientiae TVAE erudito specimine, Lauro tempora TVA redimire constituerunt. Gratulor TIBI de honoribus, quos TE exspectant. Gratulor TIBI eo magis, quo certius illi sunt fundamentum plurium dignitatum, quibus patria TVA TE ornatura est. Non autem TIBI soli gratulor, sed etiam Parentibus consanguineisque TVIS TIBI suauissimis, quin imo gratulor quoque patriae TVAE omnibusque conciuibus. Nec causae, cur ita agam, desunt. Eris nempe certissime splendori TVIS, patriae vero et conciuibus TVIS ornamento et auxilio. Quam optarem, vt ego quoque sicut hucusque, ita etiam in posterum felicitatis TVAE testis esse possem. At discessum paras, dum parentes perillustres et patria TVA TE vocant. Consilium hoc TVVM tristitiam quidem mihi causatur summam, eamque eo maiorem, quoniam contubernio ac sincera consuetudine TVA in posterum carendum mihi est. Interim quum fortuna sic iubet, bonis auibus ad patrios lares vt redeas opto. Adsit summum Numen auibus TVIS omnibus, saluum et incolumen TE ad seros vsque annos conferuet, vt Genti TVAE PERILLVSTRIS splendori, patriaeque vero TVAE ornamento atque adiumento firmissimo esse queas. Hoc vnicum TE etiam atque etiam rogo oroque, vt

)((2

absens

absens quoque TVI amoris ac inaeſtimabilis fauoris participem me red-
das. Humanitas TVA partim, partim vero et nexus, quo ſanguis nos
iungit, ſperare iubent, preces meas non fore vanas. Ad me quod atti-
net, certus imo certiffimus eſſe poteris, quod TVI memoriam nunquam
ſim deſtiturus, ſed eruditionem, reliquasque virtutes TVAS ſemper
ſim magni aeſtimaturus. Vale et faue. Dabam Erlangae, d. 14. Iun.
M DCC LXIV.



VIRO NOBILISSIMO PRAESTANTISSIMOQUE
DOMINO MATTHAEO DE SLVTTER

IVRIVM CANDIDATO DIGNISSIMO
FAVTORI ET AMICO SVO LONGE AESTVMATISSIMO

S. D. P.

GEORGIVS WOERNERS

ROTHENEVRGO FRANCVS:

I. C.

Animi magis, quam corporis viribus reſpublicas grauiter aegrotantes
ſanari, florentes contra ſuſtineri a lapſu poſſe: haud pauci ſunt, qui
dubitant. Huic ſententiae vero magna ex parte aulicos patrocinari, ip-
ſosque milites et alios qui ſe ſolos ſapere exiſtimantes haud parum de
litteris abiecte ſentiunt, indecoris inſuper eruditos maſtant nominibus,
atque fugillant, docet experientia. Neutris, verum quidem eſt, nec
eruditis neque militibus carere poſſe rempublicam: armare vero lite-
ris an illis hae praeferendae ſint? ex magnitudine vtilitatis qua vel ma-
iore vel minore reſpublica ex literis vel armis fruatur, tutiſſime iudi-
candum eſſe, cenſeo. Quis enim eſt, qui neſciat? ſinem rerumpubli-
carum eſſe ſalutem publicam; huiusque notionem tam late patere, vt
non ſubintelligatur ſolum publica ſecuritas, ſed etiam ſalus publica,
et in oppoſitione ad illam, in ſpecie ſic dicta. Re igitur ad ſanas rati-
onis ſtateram, habito prius aliquali ad ſinem illum reſpectu, paulo pe-
nitius examinata; haud erit ad intelligendum difficile: armis reſpu-
blicas, praefertim potentiores, obtinere quidem poſſe ſecuritatem pu-
blicam



blicam; minime vero gentium, a sana doctrina bonis Consiliis et prudentia, ipsa teste experientia, potissimum, rarissimam autem vel plane nullam, a manu magna, pendentem salutem publicam. Tantum autem abest, ut ideo parui pendam militiam: ut potius eam sequentes, tanquam reipublicae defensores, si vitam suam profundere pro ea non dubitent, magni existimem. Arma enim non minus reipublicae necessaria sunt quam eruditi; et neutra parte sola salus publica obtineri potest: minus tamen militibus quam eruditis: Fac enim: temporibus nostris admodum literatis controversias oriri circa iura: Fac porro: controversias oriri circa religionem: confidisne illas et praesertim posteriores tutius armis; an calamo finire? Num magna vis armorum, an Doctrinae ad executandum sacrae pontificum tyrannidis iugum, a quo integrae premebantur gentes, potissimum contulit? Nonne fecit id sana doctrina? Florescensque eruditio? Nonne id effectum est calamo, quem literae suffulciebant? Abiit tamen! ut iam dixi: male de statu militari sentire. Quis enim inficias ibit, solis eruditis male consuli reipublicae? Quis vero etiam negabit? idem fieri solis militibus. Veluti ergo se refert iudex ad sententiae executores; ita etiam milites se referent ad eruditos. Quando enim ius controversum deducendum: quando rationes pro armorum iustitia; quando declarationes manifestandae sunt: prius armis quam calamo opus esse ad vindicanda iura, quis dicit? semper enim princeps sapiens amicam ante tentabit compositionem, suasque pro armorum iustitia rationes in lucem emittet; bellum se gerere iustum, ut videat orbis: quam ad arma statim progrediatur, et Consilia eruditorum milites exequi iubeat. Sed ne longius eam in eruenda veritate ulteriori peculiari discussione indigente: ad Te Nobilissime Praestantissimeque dignitatis Doctoralis Candidate accedens; mentem instituti mei non possum non TIBI detegere; quod nimirum animus fuerit: nasti, epistolam Dissertationi tuae doctissimae, in aeternam nostrae amicitiae memoriam licentia adiungendi gratulatoriam; praediuicatum remouendi opinionem, ac si iuuenem illustri et loco nobili natum magis deceret Martem sequi quam Mineruam fere ubique inter Nobiles vigentem; tuamque laudare cupiditatem literis potius quam Sago excellendi. Cuiam exinde non constet? quantum in Te, me etiam non dicente, luceat ingenium: cum idem quod vocant militare; quodque

Tibi pro dignitate originis cum omnibus fere aliis haud inferioris ordinis pullis Martis, sub cuius auspiciis absque sudore sese fortunare pro dignitate posse, vulgo sibi persuadent, commune esset, sequi noluisti. Tibi manet laus certissima, quod viam eruditorum maxime salebrosam calcare non exhorruisti: Tibi etiam gloria, quod illa superata Themidem salutare atque Tiaram doctorem ab ea reportare, Tibi adhuc fundabundo obtigit. Haec sunt, quae Praestantissime Candidate, ex intimo cordis Tibi non sanguine minus quam familiaritate conjunctissimi amici recessu emanarunt. Faxit Numen supremum, ut omnia Tibi prospera eueniant et exoptata, et largiatur Tibi omne felicitatis genus. Maeste sis virtute et in suscipiendo iustitiae patrocinio! hoc enim fiet, ut sis tam Patriae dulcissimae Decus et ornamentum; quam genti tuae generosae Columnen et fulcimentum. Maeste sis etiam in amicitia! Vale! Mihique et impoſterum faue. Dabam Rothenburgi d. 30. Maji

A. R. S. c181ccclxiv.

MONSIEUR!

Quelle doit être la joye des parents, quand ils voient leurs enfans repondre aux esperances, qu'ils ont fondés sur eux. Quelle sera donc la joye des VOTRES, Monsieur! de voir, que Vous n'y avés pas seulement satisfait, mais que Vous les avés même surpassées. Et que pouvoit on attendre de plus, que de Vous avoir vû acquerir une erudition, qui Vous rend digne des premiers honneurs et de plus sublimes dignetés. Vous n'avés pas fait comme la plupart des Gentilshommes, qui fiers de leur naissance, méprisent l'erudition. Non, bien loin de la, Vous avés fait tous Vos efforts pour acquerir par une diligence infatigable, avec laquelle Vous Vous avés appliqué aux études, une erudition aussi solide, qu'il fût possible, et dont nous voions à présent les essais. Le jour est fixé où Vous defendrés VOTRE Dissertation savante sous le seul préside de Dieu, pour obtenir les suprêmes honneurs, dont l'Academie Vous a jugé digne. Je Vous felicite de tout mon coeur de ce dessein. Dieu veuille, Monsieur, Soutenir Vos efforts, à fin que cette erudition Vous rapporte toute la gloire et les avantages desirables, et que Vous soyés toujours la joye de Vos Parents, comme aussi le soutien et l'ornement de VOTRE Patrie. Continué

mes Mr., je Vous en prie, Votre amitié, dont Vous m'avez honoré
jusques-ici et croies que perſonne n'eſt avec plus d'eſtime, que
MONSIEUR

VOTRE

ERLANG LE 16. JUIN

très humble et très obéiſſant
Serviteur
G. F. KLEIN
Etud. en Dr. de Nördlingen.



* * * * *

Durch den erhabenen Trieb, der deine Seele entflammte,
Drangſt Du dich o Freund durch die Bahn
Der Wiſſenſchaften dahin, und in den Tempel der Themis
Und horchteſt der Göttin gedankenvoll auf.

Begierig faſte dein Geiſt die Rechte der Fürſten und Bürger,
Und niemahls entfloß Dir ein Tag,
Der nicht ſein heiliges Daſeyn in Deine Seele hinprägte,
Durch einen der Weiſheit geweihten Schritt.

Die Göttin krönte Dich nun und wand im heiligen Tempel,
Den immer grünenden Lorbeer
Um deine Scheitel herum, und weihte mit vollem Entzücken,
Zu ihrem würdigen Prieſter Dich Freund.

Eit nun im rühmlichen Kranz dem Vaterlande entgegen,
(Wann ſchon am rauschenden Strom der Rednitz
Die Freundschaft ſich härt) und lebe heitere Tage,
Die keine Wolke von Unglück umhüllt.

W. H. Wörner aus Nördlingen,
d. N. W.



ERRATA.

Omni diligentia adhibita impedire non potuimus, quo minus peccata quaedam typographica irrepsissent, quorum tamen, quoniam prudentes Lectores non facile morantur, mentionem facere, necessarium vix ducimus. Quis enim, etiam nobis tacentibus, non videt, quod p. 4. lin. 12. *ετυμων*, p. 7. lin. penult. opinione, p. 9. lin. 10. praeliminari, p. 12. lin. 9. negotiis, p. 22. l. i. per territ. p. 51. lin. 3. malus &c. legendum sit? p. 84. lin. 24. pro *droben* ponendum est *darben* i. e. dürfen. Omisa sunt p. 85. lin. 13. post eodem, *quo*: p. 95. lin. vlt. post *gönnen* und p. 101. l. 15. post *alljährlich* fl. 6. &c.





ULB Halle
005 355 311

3







20

Gen. O. num. 38. S. A. 11.

M

DISSERTATIONEM INAUGURALEM IURIDICAM
DE
IVRE NAVALI, NEC MERCATORI-
BUS, NEC ALIIS CIVIBVS, SED NAVTIS ET
OPIFICIBVS,
(DEN GELERNTEN UND ZUNFTIGEN SCHIFFLEUTEN)
LIB. ET IMP. CIVITATIS LINDAVGIAE IN MARI SVEVICO
SEV LACV BODAMICO IVXTA STATVTA PRIVATIVE
ET SOLITARIE COMPETENTE; CVM CONNEXIS.

SOLO DEO PRAESIDE
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO
FRIDERICO CHRISTIANO
MARGGRAVIO BRANDENBVRGICO BORVSSIAE SILESIAEQVE
DVCE RELIQA BVRGGRAVIO NORIMBERGENSI CAET.
PRINCIPE AC DOMINO ACADEMIAE NOSTRAE
CLEMENTISSIMO.

EX DECRETO ET AVCTORITATE
ILLVSTRIS IVRIS CONSVLTORVM ORDINIS
IN ALMA FRIDERICIANA ERLANGENSI

PRO
SVMMIS IN VTROQVE IVRE DOCTORIS HONORIBVS,
IMMVNITATIBVS AC PRIVILEGIIS RITE OBTINENDIS.
PVBLCIE DEFENDET

MATTHAEVS SEVTTER DE LOEZEN
LINDAVIA - ACRONIANVS.

D. XX. IVNII MDCC LXIII.

ERLANGAE
LITTERIS TETZSCHNERIANIS.

